Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 197
Quelle:
Copyright:

tollitur, nam etiam *uni* ad *decades* referri poteſt. Rem evictam daret *unum*, quo nil intelligi poſſet, niſi annus adjunctus ad *mille trecentos et quatuor decades*.

CXXVIII.

U. 20 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 157. f. per duas columnas charactere luculento, craſſo perſcriptus, et rubricis diſtinctus hanc Notam praefert: *Hos quinque libros poſtillarum Nicolai de lyra dedit ad librariam Domus huius Egregius decretorum doctor Dominus leonardus Schawr Officialis Curie Patav. Orate pro eo.* 1410. Rectoratum Academicum geſſit Vir hic a. 1394. obiitque Canonicus Eccl. *Ratisb. Patav. Brix.* et Plebanus in *Laa* a. 1411. ut ejus Epitaphium in Carthuſia *Mauerbac.* relatum a *J. Joſ. Lochero* in *Speculo Acad.* p. 396. teſtatur. Per *quinque Libros* totidem Volumina intelligenda fuiſſe, quorum *quatuor* deperierunt, inde liquet, quod Codex noſter non *quinque*, ſed plures Libros contineat *Poſtillarum*. Inſunt enim: In *Joſue*, in *Judices*, in *Machabaeos*, in *Tobiam*, in *Judith*, in *Eſther*, in *Sapientiam*, in *Eccleſiaſticum*, ſuis ſinguli clauſulis ſubnotati, quarum poſtrema: *Explicit poſtilla ſuper eccleſiaſticum. Edita a fratre Nicholao de lyra de ordine fratrum minorum. Sacre theologie doctore. Anno domini Milleſimo trecenteſimo. XXXI°.* qui annus quamvis non deſcriptionem, ſed abſolutionem Operis reſpiciat, ipſa tamen etiam deſcriptio non procul ab eo abfuerit. *Poſtillae* ipſae ſaepenumero cum ſeorſim, tum in Bibliis gloſſatis typo excuſae proſtant.

CXXIX.

Codex partim chartaceus, par- U. 33
tim membraneus lat. Sec. XV. Folior. 316. f. per duas columnas bene ſcriptus, rubricis enotatus, et, ut anterior Theca praefatur, Collegio ducali *Vien.* legatus a ſaepe memorato *M. Thoma Ebendorfer de Haſelbach* continet: I. *Hugonis de S. Caro* ex Ord. Praed. Cardinalis *Poſtilla in IV. Libros Regum, Paralipomena, II. Esdrae, Tobiam, Judith, Eſther*, tum *Joſue*; omnia, prout extant Edit. *Lugd.* 1645. T. I. f.

II. *fol.* 233. p. 2. ſequitur *Expoſitio domini Stephani Cantuarienſis ſuper Joſue.* Item *ſuper Judicum*, et *ſuper Ruth. Stephanus* hic *Langtonus* eſt *Anglus*, ſed *Pariſiis* ſcientiis egregie excultus, et ſacris dignitatibus ornatus, tandemque non ſine turbis et difficultatibus ad *Angliae* Primatum et Purpuram *Rom.* eluctatus, demum defunctus a. 1228. De eo, et copioſis ejus Scriptis, quorum perpauca typis vulgata ſunt, *Ciaconius* in *Vit. Pontiff.* T. II. p. 31. *Oudinus* T. II. *col.* 1695. *Caveus Vol.* II. p. 281. *Tannerus Bibl. Brit. Hib.* p. 466 atque hic triplici *Expoſitioni* noſtrae, extra *Angliam* ſatis rarae alia adſignat initia, quam quidem in *Codice* noſtro habet, unde concludo, initia illa *Prooemiorum* eſſe, quibus Librarius noſter caruit; incipit enim